

1439  
Marini  
Contareni  
mors.

Contarenus tragula ictus fortiter dimicans occubuit. Brandolinus quoque grave in dextro crure vulnus accepit. Hostes hinc quoque, desperato transitu, profecti, ad Sanguinetum se receperunt, inde in Bussetum fluvium transiere: ubi sex millibus agrestium exhibitis, fossam ad Athesim ducere adorti sunt, quam quum noctu nonnunquam Veneti milites lintribus trajecti opplevissent, mutato consilio, aliam viam non multum diversam ingressi, veterem Panegi fossam purgare cœperunt. Quod opus ne (ut aliud nuper intermissum) a Veneto impediretur, ad Anglarium rus, duo passuum millia ab Leniaco Veronam versus, castra posuere. Fossa itaque ex Panego in Athesim deducta, suos galeones in flumen hostis transmittere cœpit.

Sed dum hostium classis ad Maloperæ vada fuit, Veneti Darium Maripetrum non suffragiis, sed (quia maturato opus fuit) extra ordinem classis imperio præfecerunt. Accersitus Mellita ex Penetra, cum octo equitum millibus, & sex peditum affuit: alii copias ipsas dimidio fere extenuant. Venerat Maripetrus Leniacum cum quinque & triginta galeonibus, ex ea classe assumptis, quam ex Pado Clodium jussu Patrum nuper reductam diximus. Statuerat Picininus æneas machinas circiter quadraginta in Athesis ripa: idque ad Molini classem deterrendam, quo minus naves, quæ superiore parte per Panegum & Veterem fossam in flumen trahebantur, impediret. Ea intuitus Mellita, extensis adversa ripa copiis, Maripetrum & Molinum admonet, ut statim in superiora fluminis ducerent: hostes, nisi classis objiciatur, inscio se, vel potius invito, transmissuros. Paruit Molinus, atque cum sua classe & quinque ex Darii galeonibus, qui eum secuti sunt, stationes hostium ac Panegi ostium evasit. Ferunt ex galeonibus unum hostium tormentis confossum in illorum potestatem venisse. Quo viso, nullis hortationibus Darius adduci potuit, ut Molinum sequi vellet. Venetorum metu animadverso, confessim